



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

Angelis, Paolo de

Roma, 1621

Magnae Matri Virgini Beatissimae Pavlvvs De Angelis Se Svpplex D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13873



MAGNAE MATRI
VIRGINI BEATISSIMAE
PAVLVS DE ANGELIS
SE SVPPLEX D.



NI Tibi, Mundi Imperatrix & salus, debetur hic mearumne vigiliarum fructus, an Tuæ in me beneficentiæ testimonium? Testor enim terram, superos, Tuumq. numen tam præsens tam bonum, me acceptum referre **MARIAE** quaecumque hoc est. Totum de Te loquitur volumen: à Te prodijt: ad Te redit. vtinam integrum & sanctum, nullis inter impuras Scriptoris manus nequissimi deterrimiq. mortalium contractis sordibus. Sed nimirum abluet nitidissimus iste misericordiæ fons maculas meas. Hoc nisi sperarem fore, planeq. pro Tua bonitate confiderem, non mihi animus suffecisset ad Tuos prouolui pedes, & librum hunc, quasi libellum supplicem ad amorem Tuum, casti Parens amoris, implorandum offerre. Feci tandem Te Duce, Te Magistra, vt Liberianæ Basilicæ dignitas, opulentia, amplitudo, maiestas, non auribus tantum, verum & oculis legeretur. Quanto enim gratius expressa Luca penicillo, quàm demissa per aures, illaberis in animos, Maxima Virginum; tanto iucundius futurum videbam, si augustale maiestatis Tuæ, templum inquam illud populorum omnium religione venerandum, suis lineamentis in tabula proponerem omnibus contemplandum, quàm si nude rem calamo regissem. In terris non ali-

bi magnificentius habitas, quam illa in Aede, cui eximia
quadam prerogatiua sanctitatis, Maioris nomen, Urbis
& Orbis pietas indidit. Debui adeo pro loci dignitate om-
nes animi vires intendere, quò digna sedes Te præfide vi-
deretur. Quod si ad initia templo facienda, non solum
verbis admonere voluisti administros voluntatis Tuæ, sed
etiam æstiuæ niue aream descripsisti; par fuit, me quoque
Ducis meæ vestigia suppliciter procul adorantē, vtrumq.
& scalpro, & calamo imitari. Accipe igitur, Virgo, ea ni-
ue quam in Exquiliis demifisti, candidior, leuidense mu-
nusculum, plurium quidem illud annorū laboribus com-
pactum, at longe plurimo cordis affectu Tibi sacrū. Age,
& ea, qua apud Deum Dei Mater potes pollesq. gratia, in
scelera prolapsū eleua, labantem sustine, confirma stan-
tem. Nihil animus, nihil oculus, nihil os adamet, præter
MARIAM. Hoc abs te si impetro, diues sum satis.

PAVLVS